

DIE XIV APRILIS.

SANCTI JUSTINI,

MARTYRIS.

Introitus.

Ps. 118.

NARRAVÉRUNT mihi iniqui
fabulationes, sed non ut lex
tua: ego autem loquébar de
testimóniis tuis in conspéctu
regum, et non confundébar.
Allelúja, allelúja.

Psal. ibid. Beáti immacu-
láti in via, qui ámbulant in
lege Dómini.

v. Glória Patri...

ORATIO.

Deus, qui per stultítiam
crucis, eminentem Jesu Chris-
ti sciéntiam beátum Justinum
Mártirem mirabíliter docuís-
ti: ejus nobis intercessióne
concéde; ut, errórum circum-
ventióne depúlso, fidei firmi-
tátem consequámur. Per
eúmdem Dóminum...

Lectio Epístolæ beáti Páu-
li Apóstoli ad Corínthios.

1. Cor. 1.

Fratres: Verbum crucis,
pereúntibus quidem stultítia
est; iis autem, qui salvi fiunt,
id est nobis, Dei virtus est.
Scriptum est enim: perdam
sapiéntiam sapiéntium, et
prudéntiam prudéntium re-
probábo. Ubi sápiens? ubi
scriba? ubi conquisítor hujus
sæculi? Nonne stultam fecit
Deus sapiéntiam hujus mun-
di? Nam quia in Dei sapién-
tia non cognóvit mundus per

sapiéntiam Deum; placuit
Deo per stultítiam prædica-
tiónis salvos fácere credéntes.
Quóniam et Judæi signa pe-
tunt, et Græci sapiéntiam
quærent: nos autem prædi-
cámus Christum crucifixum,
Judæis quidem scándalum,
Géntibus autem stultítiam,
ipsis autem vocátis Judæis,
atque Græcis, Christum Dei
virtútem, et Dei sapiéntiam.
Quia quod stultum est Dei,
sapiéntius est homínibus; et
quod infirmum est Dei, fór-
tius est homínibus. Ex ipso
autem vos estis in Christo
Jesu, qui factus est nobis sa-
piéntia a Deo, et justítia, et
sanctificátio, et redemptio.

Allelúja, allelúja. v. 1 Cor. 3.
Sapiéntia hujus mundi stul-
títia est apud Deum, scriptum
est enim: Dóminus novit co-
gitatiónes sapiéntium, quón-
iam vanæ sunt. Allelúja.
v. *Ad Philipp. 3.* Verúmtamen
exístimo ómnia detrimén-
tum esse propter eminentem
sciéntiam Jesu Christi Dómi-
ni mei. Allelúja.

¶ *Extra tempus Paschále.*

Graduale. 1. Cor. 3. Sapién-
tia hujus mundi stultítia est
apud Deum, scriptum est
enim: Dóminus novit cogita-
tiónes sapiéntium, quóniam

vanæ sunt. *v. Ibid.* 1. Perdam sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprohábo.

Allelúja, allelúja. *v. Philipp.* 3. Verúmtamen existimo ómnia detriméntum esse proptereminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómine mei. Allelúja.

¶ *Post Septuagésimam, omíssis Allelúja, et versu sequénti dicitur:*

Tractus. 1 *Cor.* 2. Non judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. *v. Lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscondita est, quam prædestinávit Deus ante sæcula in glóriam nostram. v. Quam nemo princípum hujus sæculi cognóvit. Si enim cognovissent, numquam Dóminum glóriæ crucifixissent.*

✠ Sequéntia sancti Evangelii secúndum Lucam.

Luc. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis: Nihil óperum est, quod non revelétur, neque absconditum, quod non sciátur. Quóniam quæ in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur, et quod in áurem locúti estis in cubiculis, prædicábitur in tectis. Dico áutem vobis anícis meis: ne terreámini ab his, qui occidunt corpus, et post hæc non habent ámplius, quid fáciant. Osténdam áutem vobis, quem ti-

meátis: timéte eum, qui postquam occiderit, habet potestátem mittere in gehennam; ita dico vobis, hunc timéte. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio, et unus ex illis non est in obliuione coram Deo? Sed et capílli cápitis vestri omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére; multis passéribus pluris estis vos. Dico áutem vobis: omnis quicumque conféssus fúerit me coram homínibus, et Fílius hóminis confitébitur illum coram ángelis Dei.

Offertórium. 1. *Cor.* 2. Non enim judicávi, me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Allelúja.

Secréta.

Múnera nostra, Dómine Deus, benígnus súscipe: quorum mirábile mystérium sanctus Martyr Justínus advérsus impiórum calúmnias strénue deféndit. Per Dóminum...

Commúnio. 2. *Tim.* 4. Repósita est mihi coróna justitiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die justus judex. Allelúja.

Postcommúnio.

Cœlésti alimónia refécti súpplices te, Dómine, deprecámur: ut beáti Justíni Mártyris tui mónitis, de accéptis donis semper in gratiárum actióne maneámus. Per Dóminum...